



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij  
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

**Sánchez, Tomás**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

A.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41559**



INCIPIT

COMPENDIVM  
TOTIVS TRACTATVS,  
SANCTI MATRIMONII SA-  
cramenti R. P. Thomæ Sanches,  
ordine alphabetico breui-  
ter dispositum.

A B B A S.

I.



BBATES, Vid. Alij habentes  
iurisdictionem quasi Epis-  
copalem possunt erga sub-  
ditos dispensare in ijs, quæ  
*Trid. sess. 24. cap. 6. de reform.*

concedit Episcopis sc. vt  
possint absoluerè, & dispensare circa omnes  
casus occultos nec deductos ad forum contē-  
tiosum, exceptâ irregularitate ex homicidio  
voluntario, subditi tamen horum Abbatum  
non possunt ad Episcopum contugere circa  
hos casus, *lib. 8. disp. 2. num. 12.*

*Aborsus.*

1. Procurare aborsum, aut medicinas appli-  
care prægnanti ob eius salutem, cum aborsus  
periculo licitum est, quando probabiliter cõ-  
stat factum nondum animatum esse, nunquam  
tamè licitum est procurare aborsum, vt occul-

A

terur

retur peccatum matris, ne infametur, & idem dicendum, si fuerit necessarium ad evitandum periculum vitæ, *lib. 9. disp. 20. num. 9. & 10.*

2. Quando probabiliter creditur factum esse animatum, licet prægnanti medicinis uti, quæ sunt per se & directe ordinatæ ad expellendos humores prauos, ut est venarum ruptio, &c. Itæ medico licet illas applicare, & tenetur, licet prægnans eis uti non teneatur; non tamen est licitum prægnanti uti medicinis, quæ directe & per se sunt ordinatæ ad abortum; secus dicendum, quando medicinæ sunt equè ordinatæ ad salutem & abortum, licet de vita matris & fatus medici dubij sint *lib. 9. disp. 20. num. 14. 16. 18. & 19.*

*Absolutio.*

1. Dum in noua constitutione reseruatur absolutio alicuius peccati in odium illius, ut fecit Xistus quintus contra male promotos ad ordines; ignorans inuincibiliter constitutionem non incurrit hanc reseruationem; secus dicendum de ignorantia casuum reseruationis superioribus ad bonum regimen Ecclesiæ, *lib. 9. disp. 32. num. 18.*

2. Absolutio in foro conscientie fit extra confessionem, secus dicendum de potestate absolucendi in foro pœnitentiæ, *lib. 8. disp. 34. num. 29.*

*Acceptio personarum.*

1. Acceptio personarum non reperitur in  
faci-

facilius dispensante in matrimonij impedimē-  
tis cum diuitibus & potentibus *lib. 8. disp. 19.*  
*num. 5.*

*Accusatio.*

1. Accusare licet viro adultero iam dimis-  
so, adulterium ante sententiam admissum, quā-  
uis in prius iudicium non fuerit per viā actio-  
nis deductum ad instaurandum matrimonium  
*lib. 10. disp. 9. num. 25.*

2. Accusatio adulterij quoad pœnā crimi-  
nalem, & ciuilem, præscribitur quinquennio  
secus dicendum, quoad petendum diuortium  
quod nunquam præscribit *lib. 10. disp. 3. nu. 9*

*Actio, Actor, & Actus.*

1. Actio, cui datur eidem competit exce-  
ptio & retentio, *lib. 6. disp. 38. num. 34.*

2. Actus quando non valet vt agitur tunc  
valet eo modo quo valere potest quando est  
defectus ex parte causæ efficientis, *lib. 1. disp.*  
*20. num. 30. & disp. 21. num. 1. & 4.*

3. Actus non operantur ultra intentionē  
agentium *lib. 1. disp. 21. num. 1. & lib. 2. disp. 36.*  
*num. 3.*

4. Actus præsumitur factus secundū pro-  
prium eius naturam *lib. 1. disp. 37. num. 4.* Et in  
dubio præsumitur factus ita, vt valeat, *lib. 1.*  
*disp. 38. num. 4. & lib. 3. disp. 35. num. 19.*

5. Actus appellatione non venit actus, qui  
inualidus est *lib. 3. disp. 2. num. 5.* Et actus inua-  
lidus non dicitur simpliciter talis, *ibid.*

6. Actus annullatio, & irritatio est pœna, quando est in odiũ transgrediẽtis; secus dicendum quando imponitur propter defectum alicuius solemnitatis requisitæ ad faciendum actum, *lib. 3. disp. 4. num. 8. & 9.* Et obligat etiã ignorantes quoad nullitatem actus, licet non quoad alias pœnas, *lib. disp. 17. num. 10.*

7. Actus præceptus fieri sub certa forma sine clausula annullatiua valet in ordinario ea omissa, secus dicendum de legato, *lib. 3. dispur. 32. num. 1. & 3.*

8. Actus vitiatur ex parte conditionis, non verò ex omissione modi, *lib. 3. disp. 33. nu. 2.* Et actus etiam validus manet forma omiſſa quæ iam in iure cõmuni inest, nisi constet contrarium ex intentione comittentis formam, *ibid. num. 3. & 4.*

9. Si duo actus fiãt eodem die, & non cõstat, qualis eorum præcedat, præsumitur præcedere ille, qui est necessarius ad actus valorẽ, *lib. 3. disp. 35. num. 19.*

10. Actus voluntatis non potest esse coactus simpliciter quoad actus Velle & nolle, secus dicendum de actibus exercitis per alias potentias, vt ambulare mouere membra, &c. *lib. 4. disp. 1. num. 2.*

11. Actus binus inducit consuetudinẽ, *lib. 4. disp. 1. nu. 22.* & actus in vno casu permissus, & in alio prohibitus, in dubio censetur factus in casu permissio, *lib. 6. disp. 9. num. 4.*

12. Actore nil probante iuramentum deferen-

ferendum reo in causis coniugalibus, *lib. 7. disp. 113. num. 28.*

13. Actus coniugalis in gratia exercitus, debitisq; circumstantijs vestitus est meritorius, & confert gratiam ex opere operantis tantum, *lib. 9. disp. 1. num. 3.*

*Adoptio.*

1. Adoptionis Iurisperitorum diffinitio sic est, sc. actus legitimus, per quem fit filius, aut nepos, qui non est penè naturam imitans; Theologorum verò alia est, sc. Extraneæ personæ in filium vel nepotem, vel deinceps legitima assumptio. Et est duplex quædam perfecta, perquam adoptatus trāsit in potestatem adoptantis, & illi succedit, & dicitur arrogatio. Altera imperfecta, quæ dicitur simplex adoptio, per quam non transit adoptatus in potestatem adoptantis, *lib. 7. disp. 63. nu. 1. & 2.*

2. Adoptatus per adoptionem simplicem non est hæres necessarius ex testamento, bene ab intestato: per arrogationem verò est necessarius hæres ab intestato, & ex testamēto in quarta bonorum parte; itē adoptari potest, qui non est sui iuris, arrogari verò minimè; itē adoptio potest fieri autoritate iudicis cōpetentis, arrogatio verò sola principis autoritate, & arrogator tenetur satildare de restituendis bonis arrogati illis personis, ad quas essent peruentur. Item in adoptione non requiritur verbum vtriusq; expressum: secus in arrogatione, *ibid. num. 2.*

3. Adoptans debet esse sui iuris, maior 25. annis, in arrogante verò requiruntur anni 40. & si habeat minus, non potest arrogare: item in adoptante requiritur possibilitas ad generandum, vel si non possit, id non sit ex defectu naturali, sed ex casu accidentario: item debet adoptans excedere adoptatum aetate 18. annorum: item sacerdos potest adoptare, & mulier ex privilegio principis, *ibid. nu. 3.*

4. Adoptio soluitur sex modis: primò naturali morte adoptantis, 2. morte eius ciuili, 3. ob nuptias incestuosas, 4. ob dignitatem episcopalem, 5. per sententiam, 6. per emancipationem, *ibid. num. 4.*

*Adulter, & Adulterium.*

1. Adulter potest petere debitum ab vxore, etiam exigere, dum alter ignorat eius adulterium, vel suspicatur leuibus indicijs. Est autè exigere, petere rem debitam, & importat coactionem: petere autem minimè, petimus enim etiam gratis concedenda, *lib. 10. disp. 1. num. 2. 4. & 5.*

2. Adulterium est alieni thori violatio, & ut fornicatio admissa post sponsalia de futuro non est adulterium, mutat tamen peccati speciem, dum ultra fornicationem est iniustitia aduersa sponsalium fidei, & est necessariò confitenda solum ex parte sponsæ de futuro, ex parte verò sponsi minimè, *lib. 1. disp. 2. n. 2. 3. 4. & 7.* Et filij concepti ex tali fornicatione sunt naturales, *ibid. nu. 8.* Item non cessat ratio ad-  
dulte-

dulterij, sponsa de presenti fornicante ex consensu mariti, *ibid* nu. 9.

3. Adulter perdit donationem propter nuptias post sententiam iudicis, & post confirmationem sententiæ appellatæ, & si falsis testibus se tueatur, tenetur restituere solū expēsas litis, poenam verò minimè: itē maritus interficiens uxorem adulteram, auctoritate iudicis, bona eius statim ad filios pertinent, quoad proprietatem & usum fructum, si nō sint filij familias, siue sint ex alio, siue ex eodem matrimonio: si verò agatur ciuilitè, obtinebit maritus, dum superstes fuerit vxor adultera, usum fructum illorum bonorum, etiamsi sint filij ex alio matrimonio, ea verò mortuâ succedent plenè filij in eis, *lib. 10. disp. 8. nu. verò 12. 13. & 14.*

4. Vir adulter potest pacisci cum vxore adultera, vt conuincat in diuortium, ne ipsam criminaliter accuset, *lib. 10. disp. 6. nu. 10.*

5. Vir innocens non tenetur vxorem adulteram ad suam pristinam amicitiam reuocare, & vir iurans vxori se eam non accusaturum de adulterio futuro, non valet pactum, nec iuramentum quoad accusationem criminalem, secus quoad ciuilem, sc. ad diuortium & dotem petendam, fas tamen est viro adulteram emendatam sibi reconciliare, *lib. 10. disput. 13. nu. 1. 2. & 3.*

6. Nullum extat præceptum diuertendi ab vxore adultera pertinaci, & quantumcumque publica, sola attentâ ratione adulterij.



tamen tenetur diuertere ab vxore adultera, siue debitū negare ratione solum præcepti virandi scandali, & non oritur hæc obligatio ex aliquo præcepto ecclesiastico, nec ex periculo incertitudinis prolis vitandæ: & vir non satisfacit huic obligationi vxorem retinens tãquam sororem, eximitur tamen ab illa, vbi delictum ad eò occultū est, vt probare nequeat. Vid. quando vir aliter cauere scandalū potest, & nil refert, vtrum vir sit innocens nec ne? & tenetur obedire excommunicationi iubenti admittere non correptam adulteram. Item hæc obligatio dimittendæ vxoris in publico adulterio perseuerantis, quando alijs medijs non satis consulitur scandalo cauendo, ac suspicioni consensus viri in adulterium, est sub mortali, nisi vrgeat ad eam retinendam aliqua iusta causa præponderans, vt damnum corporis, vel animæ ipsius vel vxoris, & infamia, ite spes emendæ, dummodo caueat scandalum semper alijs medijs, & si non fuerint sufficientes ad id sedandum, erit scandalum passiuū, & non actiuum. Nota tamen, quòd rarò obligat hoc præceptum dimittendæ vxoris adulteræ pertinacis, vxor tamen innocens nunquam obligatur hoc præcepto dimittendi viri adulteri pertinacis, aut abstinendi ab actu coniugali, *lib. 0. disp. 13. nu. 4. vsque ad 19.*

7. Adulterij exceptio quando de illo agitur ciuilitè, vt quoad diuortium. Vid. dotis annillionem, est peremptoria, atque ita opponi potest

potest ante, vel post litem contestatam, & quocumque tempore vsque ad sententiam, secus si agatur criminaliter, *lib. 10. disp. 6. n. 12.*

8. Adulterę vxori est imposita pœna mortis, etiam quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum: secus dicendum: si ob defectum consensus, *lib. 10. disp. 8. nu. 32.*

9. Coniux adulterij sui coniugis conscius potest in foro conscientię secluso scandalo ab eius habitatione diuertere, quamuis adulterium sit occultum: nec ad id desideratur sententia iudicis, vnde hæc dimissio cessante scandalo est licita, vel quando matrimonium fuit clandestinum: iten coniux adulter occultus expulsus, qui nouit innocentem esse certum de adulterio, non potest petere restitutionem ad cohabitationem in foro conscientię: secus si ignoret, nec coniux innocens certus sit. Itē coniux, cui constat matrimonium esse nullū, potest propriâ autoritate diuertere, si fieri potest sine scandalo, ita vt dimissus non sit restituendus: attamen in foro externo conceditur restitutio, quamuis impedimētum sit notorium, *lib. 10. disp. 12. nu. 31. vsque ad 38.*

10. Coniux innocens tacitē censetur condonare adulterij iniuriam per copulam habitam cum coniuge adultero etiam occulto, siue petendo, siue reddendo debitum, & non licet amplius accusare, licet copula habeatur celebrato iam diuortio, & requiritur vt innocens sciat adulterium, & copula sponte habita

fit. Item quando spontè & scienter retinet adulterium, & nullâ necessitate compulsus familiarem se exhibet illi; vt ridens, laudans, comedens, dans oscula, & amplexus sponte; secus, si illa det missus ab ecclesia, reddere debitum, & omnes hi actus, per quos censetur condonare innocens, requirunt intentionem condonandi in foro conscientiæ; & si non adsit, non est condonatio; secus in foro externo, *lib. 10. disp. tota. 14.*

11. Adulter volens accusare adulteram criminaliter, quod licitum est, non tenetur illi reddere debitum, *ibid. nu. 8.*

12. Vir non habens certitudinem, sed probabiles adulterij vxoris præsumptiones, ob quas iustè inducitur ad credendum, non præiudicatiuri diuortij, nec accusandi reddendo debitum; secus exigendo, *ibid. nu. 10.*

13. Innocens ignorans adulterium vxoris, & sciens Sodomiam, reddens debitum cęsetur solum condonare sodomiam, & potest agere ad diuortium ratione adulterij ignorati, *ibid. nu. 11.*

14. Innocens reddens debitum ex præcepto iudicis, siue adulterium sit notorium, siue occultum, non censetur remittere, *ibid. n. 14.*

15. Mulier reddens debitum adultero metu quocumq; licet non sit cadens, in constantem non censetur cōdonare, idem dicendum, quando debitum honestate seruata negare non potest, *ibid. nu. 15.*

16. Innocens existimans teneri se, vel deceptus ab aliquo id dicenti, reddens debitum adultero, non censetur condonare, *ibid. nu. 16.* item quod dictum est, eodem modo dicendum de sponsalibus, *nu. 24.*

*Ætas.*

1. Ætas requisita ad ieiunandum, requiritur omnino completa, de momento ad momentum computato natiuitatis puncto, ut si die ieiunij impleat aliquis ætatem 21. annorū, ante punctum, quo implet, potest ientaculum sumere, & semel eo sumpto non tenebitur eod. die ieiunare, *lib. 2. disp. 24. nu. 23.*

*Affinitas.*

1. Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula proueniens, & durat post mortem eius, qui causa fuit contrahendæ affinitatis, non habet gradus, sed mensuratur inter affines iuxta gradus consanguinitatis: & stipes in affinitate dicitur duplex illa persona, quæ per carnis copulam commiscetur, cum utraque sit origo, & radix huius affinitatis, unde linea affinitatis est duplex, sicut & consanguinitatis, quædam recta ascendentium & descendendum, ascendentes sunt socer, socrus, nouerca, descendentes verò gener, nurus, priuignus. Alia verò linea est transuersa collateralium, hi sunt, qui alterutri sunt coniugi consanguinei in linea transuersa: & vir, & vxor non sunt inter se affines, sed principium

cipium affinitatis, *l. 7. disp. 64. n. 1. 2. 3. 4. & 5.*

2. Affinitas non oritur ex sola vasis femine penetratione, non immisso intra vas virili semine, Et non habenda est fides, nisi in foro conscientiarum, copulam habentibus, ac seminis effusionem negantibus; item nec oritur ex copula, in qua sola femina seminat, nec ex congressu spadonum consummantium intra legitimum vas, nec ex quacumque extra vas pollutione, vel quibuscumque tactibus, nec ex copula sodomitica, *lib. 7. disp. 64. nu. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.*

3. Affinitas oritur ex copula extra vas, si virile semen quacumque arte, vel matrice foemineâ illud attrahente in vas foemineum subintret, siue copula sit illicita, siue habita cum foemina prorsus invita, ignoranti, ebria, dormiente, & insana, siue copula sit omnino occulta; & non requiritur ad contrahendam affinitatem semen foeminae: sufficit enim, si vir solum seminet: & affinitas non oritur ex matrimonio rate; sed est vera & propria publica honestas, *lib. 7. disp. 64. à nu. 15. usque in finem.*

4. Affinitas oritur ex matrimonio consummato est quid naturale, & oritur tempore infidelitatis etiam usque ad quartum gradum, quamvis matrimonium sit non consummatum, affinitas tamen orta ex copula fornicaria non est naturalis, nec ex sponsalibus initis tempore infidelitatis oritur aliquod naturale impedimentum, *lib. 7. disp. 65. à nu. 4. usque ad 9.*

5. Affi-

5. Affinitas orta, siue ex matrimonio, siue ex fornicatione, in nullo gradu lineæ rectæ ita prohibet iure naturali matrimonium, vt illud irritum reddat, idem dicendum de gradibus affinitatis in linea transuersa, quamuis sit naturalis indecentia, *lib. 7. disp. 66. nu. 3. 7. & 11.*

6. Affinitatis triplex erat genus antiquitus irritans matrimonium subsequens, primū erat inter personam copula licita, vel illicita cognitam, vel è contra inter personam cognitam & consanguineos cognoscentis. Secundū inter virum affinem, & maritum seu vxorem sui affinis. Tertium erat cum marito seu vxore illius coniuncti secundo affinitatis genere, quæ & postea fuit restricta vsque ad 4. tantū, *lib. 7. disp. 67. nu. 1. & 3.*

7. Affinitas hodie solum oritur ex copula licita vel illicita, sc. inter habentem carnalē copulam, & consanguineos mulieris cognite, & è contra inter mulierem cognitam, & cognoscentis consanguineos, nec ex vna affinitate oritur alia, & non extenditur ad alias personas, *lib. 7. disp. 67. num. 2.*

8. Affinitas orta ex copula illicita per *Concil. Trident. sess. 24. de matrimonio ca. 4.* est restricta ad secundum gradum, siue sit orta ex stupro, vel alio quocunque illicito cōcubitu; & ita est restricta, vt non sit incestus ultra secundum gradum accessus ad consanguineam eius, cum qua fornicatus est, & affinitas superueniens sponsalibus, ea dirimit, *lib. 7. disp.*

67. à nu. 4. usque ad 10.

*Alimentum.*

1. Vir tenetur præstare alimenta vxori li-  
te mota de valore matrimonij, quamuis illa  
indotata sit, *lib. 2. disp. 4. nu. 51.*

2. Vir non tenetur alere vxorem; quæ in  
favorem matrimonij periculosam incisionem  
passa est, & mansit incurabilis, & iudicatum  
fuit matrimonium irritum, *lib. 7. disp. 93. n. 22.*

3. Vir tenetur vxorem alere cohabitantem  
viro, secus dicendum de vxore recedente ab  
illo absque eius culpa, & cum magna temeri-  
tate: licet vir dotem habeat vel eam indotatam  
duxerit, secus dicendum, si vxor absit à viro  
propter nimias castigationes; & quamuis ob  
propriam culpam, vt hæresim, in carcerem per-  
petuum includatur, siue dos maneat apud ip-  
sum, siue indotatam duxerit, dum diuortium  
non celebratur ratione hæresis, *lib. 9. disp. 4. à  
n. 19. usque ad 23.*

4. Si vxor, quæ culpa sua aberat, pœnitentiam  
ductam ad virum rediens, iam tunc tenebitur  
illam alere, secus dicendum, quando ob  
seuitiam mariti vxor inculpate fugerat, si ad  
virum redire renuat, ille dans cautionem suf-  
ficientem de securitate, *lib. 9. disp. 4. nu. 24.*

5. Vir tenetur alere vxorem, quando neu-  
trius coniugis delicto separatio contigerit, vt  
ob morbum contagiosum, *lib. 9. disp. 4. n. 25.*

6. Vir tenetur prius subuenire parētibus,  
& filijs in extrema necessitate, quam vxori, se-  
cus

cūs dicendum extra extremam necessitatem,  
*lib. 9. disp. 4. nu. 26.*

7. Maritus inops non tenetur vxorem alere, etiam dote, vel parte eius promissa ab extraneo non soluta; secus dicendum, si fuit promissa ab ipsa vxore, vel parente, qui ratione impotentiae non soluunt, nisi malitiosè promississent, & si vir alat vxorem nō solutā dote, & nil protestetur, non potest petere alimenta à promissore, *lib. 9. disp. 4. nu. 27.* quoad maritū inopem, & quoad alia, *lib. 9. disp. 5. à nu. 2. usque ad 7.*

8. Vir tenetur alere vxorem, quam sine promissione dotis duxit, quamuis pater diues sit, & nolit constituere dotem; secus dicendū, quando illa diues sit, & renuat constituere dotem, *lib. 9. disp. 5. nu. 8. & 9.*

9. Quando vxor ducta est dotata, sed ad eius delictum publicata est dos, si fortuito casu perijt, tenetur vir vxorem alere, si verò culpa vxoris dos publicata fuit, si parentes eius sunt diuites, non tenetur vir alere eam; secus, si sint pauperes, *ib. nu. 10.*

10. Vir non tenetur præbere alimenta vxori adulteræ, licet ille causam dederit, expellens eam iniustè. Secus dicendum, si vir expulisset eam eo fine, vt adulteretur. Et hoc totum procedit in foro conscientie; secus in exteriori. Item non tenetur eam alere, si in solis osculis & amplexibus deprehendatur, nec tenetur ministrare alimenta, & litis expensas vxori

xori



xori adulteræ durant lite intentatâ ad diuortium In foro tamen exteriori contrarium dicendum est, *l. o. disp. 8. nu. 24. vsque ad 28.*

11 Vir non tenetur præbere alimenta vxori adulteræ pertinaci, *l. 10. disp. 13. nu. 17.*

12 Vxor diues tenetur præbere alimenta viro & filijs. Item viro suâ culpâ bannito, exulanti, & in triremibus versanti, *li. 9. disp. 4. numer. 23 & 27.*

13 Alimenta non sunt præstanda vxori viduæ transeunti ad secundas nuptias intra annum luctus, dum ei dos non restituitur; Secus dicendum, si relicta illi fuere in testamento, *libr. 7. disp. 87. nu. 30.* Filius tamen, si fuerit diues, ex materna substantia tenetur alere matrem pauperem secundo nubentem, & dotare. Secus, si aliundè sit diues, eodem *libr. 7. disp. 88. n. 32.*

14 Quæstione mota de alimentis præstandis adulteræ à viro separatae coram iudice sæculari; viroque excipienti de sufficienti causa diuortij, nempe de adulterio, debet sæcularis lite supersedere, donec Ecclesiasticus iudex quæstionem dirimat, potestque interim iudicem sæcularem exhibere, *lib. 10 disp. 8. numer. 17.*

15 Alimenta vel legata relicta vxori non debeatur secundæ, quando proprio nomine expresso relicta fuere primæ, nisi secundæ vxori nomen prioris imposuisset. Quando vero relicta fuere sub nomine appellatiuo, si testator

stator erat coniugatus tempore testamenti, intelligitur de præfenti sola vxore, & si solutus erat matrimonio; non debentur posteriori vxori, *lib. 7. disp. 91. à nu. 58. 59. & 60.*

## Amentes.

1. Amentes, & mente capti non possunt contrahere validè, nec sponsalia, nec matrimonium ex defectu deliberationis, *lib. 1. disp. 8. nu. 15.* Secus dicendum de habentibus lucida interualla, *ibid. num. 16.* In dubio autem, quando non constat eum, de quo tractatur, antea furore correptum esse, non præsumitur furiosus, sed sanæ mentis. Secus, quando constat aliquem dementia affectum fuisse, nec constat consueuisse habere lucida interualla, *ibid. num. 17.* Et gaudens lucidis interuallis peccat contrahendo, & aliquando mortaliter, *numer. 18.* Et ebrius tempore ebrietatis contrahens nihil facit, licet haberet ante tempus ebrietatis voluntatē cōtrahendi; & nō est simile de Baptismo, *ibid. nu. 19. & 20.* Vnde nō sufficit ad sponsalia, & matrimonium voluntas virtualis, nisi quā in se volitum est, *ibid. nu. 21.* Et dantur aliqui amentes in vna materia, & in alijs feruentes rationis vsu, ita vt possint facere, & iure matrimonium, *ibid. nu. 23.*

2. Coniugi non omnino destituto, sed fatuo (id est simplici) tenetur alter coniux reddere debitum. Idem dicendum, si in vna re fuerint amentes, & in altera non, vel si habeant lucida interualla, *lib. 9. disp. 23. à nu. 1. vsque ad 3.*

ad 3.

*ad 3.* Et si ambo fuerint perfectè amētes separandi sunt, donec ad mentem redeant, & reus esset culpa, qui eos ad copulam incitaret, *ib. nu. 5.* Etiam amentes non coniugatos coniungere, ut habeant copulam, est peccatum mortale, & habet easdem circumstantias, ac si illi essent sui compotes, quas tenetur confiteri, qui eos incitavit, *ib. nu. 6.*

3 Quando alter coniux solus est amens, ex natura rei est licitus concubitus. Unde si non fit periculum abortus, aut damni notabilis coniugis sani, nulla erit culpa. Idem dicendū, quamuis fit periculum, ut amens seminet extra vas, sed solum est consilium abstinere tunc. Unde etiam licitus est concubitus, quando vxor est mentis compos. Etiam est licitum vxori mouere ad copulam coniugem insanum: secus dicendum, si illa est amens, *lib. 9. disp. 23. à n. 7. usque ad 9.*

Probabilius est, coniugem sanum non teneri per se, & ex natura rei debitum reddere amenti, quamuis nullum abortus, aut damni cōiugis periculū fit. Dicitur per se, quia si periculū fit in cōiuge furioso negato sibi debito effusionis seminis, tunc tenetur per accidens. Quod periculum non habet locum in muliere, quando illa sit amens. Item est licita copula inter vtrūque, vel alterum tantum coniugem ebrium, *lib. 9. disp. 23. à numer. 10. usque ad 12.*

Am.

*Amplexus.*

1 Amplexus, & oscula non efficiunt suspicionem violentam, ita vt ex eis probetur adulterium, quando alia non concurrunt, *lib. 10. disp. 12. nu. 47.*

*Appellans, & appellare.*

1 Appellans a sententia iam lata, tuens se falsis testibus, solum tenetur soluere expensas litis, non vero pœnam pecuniariam restituere, *lib. 10. disp. 8. nu. 14.*

2 Appellatione sponsæ venit sponsa de futuro: & appellatione vxoris venit vxor de presenti nondum cognita, quando materia est fauorabilis, aut indifferens. Secus dicendum, si fuerit odiosa, *lib. 1. disp. 1. num. 2. & 3.*

*Annulus.*

1 Sponsa non acquirit annulum traditum in Ecclesia tempore nuptialium benedictionum, si antea donatus erat, *lib. 6. disp. 23. n. 10.*

2 Traditio annuli ex se est signum æquiuocum, vnde secundum consuetudinem loci significat sponsalia, vel matrimonium, & quando præcedunt verba matrimonij, operatur matrimonium: si vero sponsalium, sponsalia. Et vt significet matrimonium, requiritur, vt annulus ponatur in medio digito. Si vero non ponatur in medio, significat sponsalia, *lib. 1. disp. 22. à num. 1. vsque ad 4.*

3 Quando habito tractatu inter amicos de matrimonio contrahendo, mittit sponsus arthas, vel iocalia, nihil aliud exprimens, & spõ-  
sa ac

sa acceptrauit, sunt sponsalia. Idem dicendum, si fœmina requisita spontè manum dedit ad fidem recipiendam, *lib. 1. disputat. 22. num. 5. & 6.*

*Arbiter, & Arbitrium.*

1 Arbiter, & arbitrarius non possunt recusari, nisi existente nouâ causâ, vel denuò cognitâ, *lib. 7. disp. 113. & nu. 8.*

2 Quando requiritur arbitrium alicuius, & ille non vult arbitrari, vel malè arbitratur, debet recurri ad iudicem, *lib. 1. disp. 34. nu. 32.*

*Archiepiscopus, & Archipresbyter.*

1 Archiepiscopus, & Episcopi, possunt validè dispensare sine causa in constitutionibus suæ synodi diœcesanæ. Secus dicendum de decretis synodi prouincialis, *lib. 8. disp. 17. à nu. 32. usque ad 37.*

2 Archiepiscopus non potest adiri à subditis suffraganei, vt retractet sententiam matrimonij bis confirmatam, aut à qua appellatum non est, quando postea error reperitur, *lib. 7. disp. 100. nu. 9. & 10.*

3 Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis nō potest interesse matrimonio, nec administrare alia sacramenta in tota diœcesi. Secus, si esset deputatus, & esset annexum ex officio, sed hodie non est talis consuetudo, *lib. 3. disp. 27. num. 2.*

*Arrha.*

1 Arrha, quæ est lignum matrimonij contrahendi, valet in sponsalibus. Sed, vt valet, requiri-

requiritur. vt statim tradatur, etiam si dicat; do tibi centum pro pœna, si matrimonium tecum non contraxero, & re ipsâ tradat illa centum, *lib. 1. disp. 25. à nu. 2. 3. & 4.*

2 Acceptio arrhæ probatur solâ confessione recipientis, quando contrarium non probatur, *lib. 10. disp. 35. nu. 5.*

3 Arrhæ possunt constitui in quacumque quantitate. Vnde cautela est iusta pro matrimonij securitate, magnas arrhas tradere & stipulari in quadruplum: & si contrahentes sint minores, facere, vt parentes tradant, *lib. 1. disp. 35. n. 9. & 10.*

4 Arrhæ possunt constitui in specie, vt in quodam fundo, & vtriusque possunt opponi, *lib. 1. disp. 35. nu. 12. & 14.*

5 Tradens arrhas, eas amittit, si sua culpa matrimonium non sequatur. Eo autem sequuto redeunt ad tradenrem, & nil harum arrharum lucratur sponsa per osculum, *lib. 1. disp. 36. nu. 2. & 3.*

6 Qui absque culpa à sponsalibus resiliit, non amittit arrhas, quas tradidit, sed ipsi restituendæ sunt, v. g. si ingressus est religionem, aut ignorabat impedimentum canonicum inter illos. Secus dicendum, si conscius erat: vnde, si sibi reddantur, tenebitur restituere. Item non amittit arrhas, quando tradens arrhas in mora non fuit ante obitum suum, vel recipientis, contrahendi matrimonium, *lib. 1. disp. 36. n. 4. 5. & 6.*

7 Quando alter contrahens solus tradit arrhas, & culpa non tradentis matrimonium minimè sequitur; tenetur hoc restituere duplum, id est ipsas arrhas, & tantundem de suo patrimonio. Et si conuentum sit, vt restituat triplum, vel quadruplum, tenetur ad hoc: tamen, si fuerit minor 25. annis, non tenetur amplius, quàm ad id, quod recepit, *lib. 1. disp. 36. n. 7. & 8.* Et hoc non habet locum in foro conscientie ante iudicis sententiam, *lib. 1. disp. 37. n. 4.* Et debitor pœnæ conuenientialis potest eam præscribere, si spatio triginta annorum non petatur, *lib. 1. disp. 37. n. 5.*

8 Quando vterque arrhas dedit, & recipit iniuste, resiliens suas perdit, & quas accepit, restituere tenetur. Quando vtraque quantitas æqualis est, & omnia, quæ dicta manent, vt non tradens arrhas teneatur ad duplum, & quadruplum, habent locum, etiam attento iure canonico, *l. 1. disp. 7. n. 9. & 11.*

9 Pater tradens arrhas, & promittens filie matrimonium, non amittit illas, si faciat, quidquid in se est; vt filia adimpleat, & illa non vult, *lib. 1. disp. 26. nu. 13.*

10 Ille, qui fornicatus est, vel aliud vitium patitur, ob quod, si alter sciret, posset à sponsalibus validè contractis resiliere: si, dum est ignarus, resiliat, lucratur arrhas, & potest eas retinere, *l. 1. disp. 68. n. 10.*

Arrha apponitur in contractu ingrediendi religionem cum religiosi, vel alio homine inito, est

to, est omnino irrita. Secus in voto facto Deo, & in voto matrimonij ineundi, quando validum est, *lib. 1. disp. 39. nu. 5. & 6.*

*Arrba Hispana.*

1 Arrhas Hispanas non lucratur vxor putatiua, quando vterque coniux credidit matrimonium valere, *lib. 6. disp. 20. nu. 3.*

2 Arrhæ acquiruntur consummato matrimonio, & non per osculum, *lib. 6. n. 18. di. 22.*

3 Arrhæ Hispanæ non sumuntur pro eo, quod traditur in signum matrimonij contrahendi, de quo actum est: sed sunt donatio facta sponsæ per sponsum in remunerationem pudicitiae, vel notabilitatis, vel dotis sponsæ, quas soluto matrimonio sponsa lucratur. Donatio verò propter nuptias antiquitus nõ reddebatur soluto matrimonio, & hæc est differentia inter arrham & donationem propter nuptias, quæ conferebatur pro oneribus matrimonij, *lib. 6. disp. 1. n. 1.*

4 Arrhæ nõ dantur in præmiũ virginitatis, nec sunt restituendæ ab ea, quæ verè virgo nõ est; licet à marito virgo crederetur, *l. 6. d. 27. n. 3. & 4.*

5 Arrhæ non requirunt insinuationem, licet summam insinuationem ad sui valorem indigentem excedant, dummodo non excedant decimam bonorum partem, quæ vir tunc possidet, *lib. 6. disp. 29. nu. 3.* Et Arrhæ possunt constitui ante matrimonium, vel post, siue sit consummatũ, siue non *l. 6. di. 28. n. 1. & 2.*

6 In regno Castellæ vir tantũ potest decimam



cimam bonorum partem pro Arrhis promittere vxori. Potest tamen excedere octauam dotis sponsæ partem, & vxor etiam potest cōstituire arrhas viro, non excedendo decimam bonorum eius partem, *libr. 6. disp. 29. numer. 1. 2. §. 4.*

7 Arrhæ possunt promitti de bonis præsentibus & futuris, vxorque eligere poterit tempus, quo bonorum viri valor computandus sit, & tunc decimam bonorum non debet excedere, & promissio de solis bonis præsentibus intelligitur, si futura non exprimantur. Vnde sola bona, quæ tempore promissionis maritus possidebat, ad taxandam arrharum quantitatem inspicienda sunt, siue augeantur siue diminuuntur. Idem dicendum, quamuis tempore promissionis nulla bona haberet; imò licet vir obliget bona præsentia & futura pro arrharum securitate, nisi in promissione arrharum explicet, se promittere de bonis futuris, promissio intelligitur facta de solis bonis præsentibus, *lib. 6. disput. 29. à num. 5. vsque ad 9.* Et promittens arrhas, licet non habeat hæredes necessarios, non potest excedere decimam bonorum partem, *ibidem nu. 10.*

8 Cum de bonorum computatione facienda tractatur, vt liqueat quantitas decimæ arrharum, deducendum est omne æs alienum, & onera, & tributa, quæ soluuntur, & æstimandus est valor officiorum vendibilium; secus de non vendibilibus. Item computanda sunt  
etiam

etiam illa, ad quæ vir habet actionem, *lib. 6. disp. 29. nu. 11. 12. & 13.*

9 Si arrhæ excedant decimam bonorum partem, non sunt omnino inualidæ, sed tantum quoad excessum. Idem dicendum, si fundus excedens valorem decimæ constituatur nomine arrharum, vel sponsalitiæ largitatis, *lib. 6. disp. 29. nu. 14. & 16.* Tamen quidam tertius, vel extraneus, vel viri consanguineus potest nomine arrharum ultra decimam bonorum validè vxori promittere; nisi donetur à consanguineis, vel extraneis, non verò de proprijs bonis, sed sponsi, vel si donans vult, vt donationem acquirat maritus. *ibid. nu. 8.*

10 Decima arrharum computanda est secundum bona, quæ reuera erant promittentis tempore promissionis, *lib. 6. disput. 3. num. 20.* Et si bona fuerint maioratus, computatio debet fieri ad respectum vsus fractus, seu reddituum, quos promittens arrhas percepturus est, toto vitæ suæ spatio deductis expensis, *lib. 6. disp. 31. à nu. 1. vsque ad 4.*

11 Arrhæ ultra decimam non sunt validæ in foro conscientiæ quoad excessum, sed debent restitui nulla iudicis sententia expectata, *lib. 6. disp. 33. nu. 2.* Nec quoad excessum confirmantur iuramento, nec obligant, nec indigēt relaxatione, *lib. 6. disp. 34. nu. 2.*

12 Vxor, & eius hæredes non tenentur probare, esse arrhas intra decimam bonorum partem, vt eas obtineant, sed incumbit viro, vel

B

eius

eius hæredibus. Præcipuè quando vxor, vel eius hæredes arrhas iam possident; vel adsunt aliqua coniecturæ, & præsumptiones, quibus iudices sibi quodammodo suadent, arrhas minimè excedere decimam, *lib. 6. disp. 35. à n. 1. vsque ad 5.*

13 Arrhæ sunt extrahendæ ex ea parte, de qua potest vir in præiudicium ascendentium, vel descendentium disponere, vt in Castella de quinto bonorum, si filij supersint ex priori matrimonio, vel ex tertio si solos ascendentes habeat, & si tempore promissionis carebat filijs, sunt extrahendæ ex toto hæreditatis corpore, licèt post promissionem nascantur. Et sic potest, non obstantibus illis, pater in vita, vel in morte disponere de integro quinto, *lib. 6. disp. 36. nu. 14. 15. & 16.*

14 Arrhæ non sunt soluendæ, quando dos promissa non soluitur. Et quando non soluitur integra dos, vel plus æquo æstimatur, potest minui pro rata dotis non solutæ, vel pluris æstimatæ, quantitas arrharum. Nisi matrimonium initum fuerit habitâ fide de dote certo tempore soluenda, & ante id tempus matrimonium dissolutum fuerit. Tunc enim, licèt dos soluta non fuerit, tenetur vir, vel eius hæres ad integras arrhas soluendas. Tenetur etiam ad integras arrhas, si vir partem dotis remittat, *lib. 6. disp. 37. nu. 1. vsque ad 4.*

15 Minor potest promittere arrhas de bonis immobilibus, quæ seruâdo seruari possunt cum

cum iudicis decreto. Et quando sine decreto promittat, & donet huiusmodi bona nomine arrharum, ratificabitur donatio hæc transacto quinquennio, postquam minor impleuerit. Viginti quinque annos, *l. 6. di. 38. n. 3. & 7. & 8.* Itē potest minor promittere arrhas de bonis mobilibus, vt pecunia, solum cum autoritate curatoris, si eū habeat; & si sine ea arrhas promittat aut donet, obligatur naturaliter. Et si minor det arrhas moderatē, non potest implorare restitutionis beneficium. Quando autem dicatur quantitas moderata, vel non, relinquatur arbitrio prudentis. *ibid. num. 39. 40. & 41.*

16 Promissio arrharum valebit facta à minori accedente iuramento, siue bona sint mobilia, siue non; & siue intercedat autoritas curatoris, aut iudicis, siue non: nec poterit vti beneficio restitutionis, nisi casu quo maiori competat, *ibidem. num. 43. lib. 6. disp. 38.*

17 Filius familias potest donare arrhas inconsulto patre, etiā promittere, *l. 6. disp. 39. n. 11.*

18 Mater, quæ secundo non nupit, quemcunque ex descendētibus meliorare potest in tertia & quinta arrharum parte. Et melioratio generalis bonorū facta comprehendit arrhas. Potest que quintam partem cuiuslibet extraneo legare; & ita nullum est discrimen inter arrhas & cætera bona in regno Castellæ. Item habēs solos ascendentes potest de sola tertia arrharum parte in eorum præiudicium dispone-

1e in eodem regno Castellæ, *lib. 6. disp. 40. nu. 4. & 7.*

19 Mulier secundò nubens tenetur referuare arrhas filijs prioris matrimonij, quas ab eorum patre accepit; & inter illos sunt æqualiter diuidendæ ex testamento, aut ab intestato. Nec potest ex illis instituere maioratum, aut meliorare quemcumque eorum filiorum, siue vir dedisset arrhas, siue alius nomine eius, *lib. 6. disp. 41. nu. 3.*

*Aspectus.*

1 Aspectus & verba turpia inter coniuges absque pollutionis periculo, nunquam sunt peccata mortalia. Erunt tamen venialia, si ad voluptatem, licita autem, si ad procurandum copulam referantur, *lib. 9. disp. 44. nu. 13.* Est tamen peccatum mortale, quando adsit periculum pollutionis; secus dicendum, si sola distillatio sequatur, *lib. 9. disp. 41. & 42.*

2 Aspectus turpes inter omnino solutos sistendo in eorum delectatione, communiter non sunt mortales, sicut tactus, sed solum veniales. Nisi aspectus sit ordinatus ad aliũ malum finem aut sint valde turpes, quamuis non ex libidine fiant, sed ex indiscreta mortificatione, aut curiositate. Nisi ob solã curiositatẽ videat aliquis personam diuersi sexus nudatam breui tempore, vt non detur occasio magnæ commotionis in corpore; vel si ratione ætatis puerilis, aut lenilis, aut frigidissimæ cõplexionis cesset id periculum commotionis  
magnæ

magnæ in aspiciente, *lib. 9. disp. 46. nu. 21. & 22. 23. & 24.*

3 Aspiciere verenda alterius sexus operta vestibus ita subtilibus, ut parum aspectui obstant, peccatum mortale est. Secus dicendum de aspectu brachiorum, pectorum nudorum fœminarum secluso periculo alio. Et idem dicendum de videntibus crura mulierum in fluuio lauantium, quamuis adsit aliqua delectatio ex eo aspectu consurgens cessante alio periculo, vel mala intentione, *lib. 9. disp. 46. num. 25. & 26.*

4 Inter personas eiusdem sexus, vacat culpâ lethali, se nudas aspiciere, vel verenda, ut quando natant, dummodo absit delectatio. Secus dicendum, quando vir fœminâ videt natantem, & e contra. Erit tamen lethale inter duos viros propter vehementem propensionem ad sodomiam, si adesset periculum consensus. Vel ob personarum grauitatem, ut inter duos Episcopos. Item non est mortale, sed tantum veniale propria verenda aspiciere ex quadam curiositate absque alia mala intentione, & periculo, *lib. 9. disp. 46. nu. 27. & 28.*

5 Est mortale aspiciere concubitum viri cum fœmina. Non est tamen communiter lethale aspiciere concubitum brutorum, vel partes eorum fœdas turpiter commotas, nisi sit in aspiciente aliqua delectatio sensualis, *lib. 9. disp. 46. num. 29. & 30.*

6 Quoties aspectus ratione delectationis

B 3

notabi-

notabilis venereæ, vel periculi est mortalis, fatendæ sunt circumstantiæ personarum: sicut in copula ipsa, *lib. 9. disp. 46. num. 31.*

7 Licitum sunt aspectus, & colloquia mutua sponsis de futuro, licitumque est finiri voluptate, quæ inde nascitur, secluso pollutionis, ôsensu in copulam periculo, & excusantur a mortali & veniali, si adsit finis honestus; & quãdo voluptas est finis, erunt venialia, dummodo aspectus non sit valdè impudicus, *lib. 9. disp. 46. nu. 54.*

*Assessor.*

1 Assessor Episcopi potest esse clericus cõiugatus, *lib. 7. disp. 46. nu. 14.*

*Audire.*

1 Verba amatoria audire vel loqui, quæ vulgò *requebros* appellamus, secluso periculo ruinæ ob solam vanitatem, & ad conciliandũ vanum amorem, leuemque delectationem, non excedit culpã venialem *lib. 9. disp. 46. n. 37.*

*Authoritas.*

1 Authoritates Sanctorum, Legum, & Cõciliorum prouincialium in decreto Gratiani insertæ vim canonis minimè habent, nisi ex Pontificis aut Concilij generalis decreto desumptæ sint, *lib. 9. disp. 12. nu. 5.*

*Auus.*

1 Auus in regno Castellæ habet nepotem sub potestate, quando concipitur ante emancipationem filij, licet nascatur post, *lib. 7. disp. 82. num. 7.*

Bene-